

SECTIO VIII.

DE

REGVLIS

IN

FORMVLARVM PRAESCRPTIONE
OBSERVANDIS.

§. 262.

Cum Medicus nihil agere debeat sine ratione sufficiente, nec formulam praescribere debet, nisi ipsi ratio sit sufficiens. Hinc nunquam tumultuario, sed semper ex indicatione, prius rite deducta, agat.

Medicus formulam non debet praescribere sine ratione.

§. 263.

Ratio sufficiens, quae Medicum determinat, ut formulam praescribat, vel later in natura morbi, vel extra illam. Haec mihi audit ratio sufficiens extrinseca, illa intrinseca.

Ratio est vel extrinseca, vel intrinseca.

§. 264.

Cum Medicus formulam praescribere non debeat, nisi ipsi sit ratio sufficiens, quae illum ad hoc determinat §. 262, et haec ratio vel sit intrinseca, vel extrinseca §. 263, Medicus formulam non debet praescribere, nisi ipsi ratio sit sufficiens vel extrinseca, vel intrinseca, vel utraque; e contrario vero formulam concinnare debet, si ipsi ratio sufficiens sit vel extrinseca, vel intrinseca, vel utraque.

Medicus formulam praescribere non debet, nisi ipsi sit ratio vel extrinseca, vel intrinseca, vel utraque.

13

§. 265. utraque.

§. 265.

In quibusnam casibus Medicus formulam praescribere debeat, et in quibus non.

Si vel naturae robur adhuc praesens sufficit ad morbum tollendum, vel morbus nullam plane admittit medelam, vel, si admittit, maius exinde nascitur damnum, vel dubia ac incerta adhuc est morbi indoles, nulla Medico est intrinseca ratio §. 263, quae illum determinare possit, ut formulam praescribat. Cum vero plerisque, suae sanitatis curam Medico committentibus, nimis durum sit, ab illo penitus destitui, atque id eos in maiorem suae salutis desperationem adducat, nec consilii, nec arti medicae laudi sit, eius proderet imperfectionem, haec si occurrunt circumstantiae, largiuntur Medico rationem sufficientem externam, cur formulam praescribere debeat. Sunt vero medicamenta huic scopo idonea illa, quae ex inertioribus conflantur, ut emulsiones, mixturae, puluiculi inefficaces et id genus alia. Haec, si vel maxime nihil efficiant, tranquillum tamen reddunt aegrum, qui saepe mauult pia fraude decipi, quam a Medico destitui.

§. 266.

Medico est determinanda formulae species.

Quodsi ergo Medico est ratio sufficiens illum determinans, ut formulam praescribat, porro ipsi formulae species est determinanda, id quod facile facere potest, si doctrinam indicationum habet cognitam et perspectam.

§. 267.

§. 267.

Cum medicamentum sit medium, quo Quod-
 Medicus utitur ad finem suum obtinendum, nam me-
 qui est sanitas, et medium eo sit perfe- dica-
 ctius, quo aptius est, ut per id finis obtineri mentum
 queat, medicamentum eo est perfectius, quo altero sit
 aptius est, ut per id finem suum assequi pos- ctius.
 sit Medicus, siue, ut eius ope sanitas obti-
 neri possit.

§. 268.

Cum medicamentum eo sit perfectius, quo
 aptius est, ut eo finem suum assequi possit Me-
 dicus §. 267, eligere debet in quovis casu me-
 dicamenta scopo suo consequendo maxime
 appropriata.

Medicus
 eligere
 debet
 medica-
 mentum
 scopo
 suo ma-
 xime ap-
 propria-
 tum.

§. 269.

Cum medicamentum eo sit aptius, ut eo Quo tu-
 finem suum assequi possit Medicus, quo vel tius est,
 tutius, vel citius, vel quo maiori cum iucun- quo ci-
 ditate sanitati conducit, et medicamentum eo tius agit,
 sit perfectius, quo aptius est, ut eo finem et quo
 suum assequi possit Medicus §. 268, medica- iucun-
 mentum eo erit perfectius, quo vel tutius, dius est
 vel citius, vel quo maiori cum iucunditate, medica-
 reliquis circumstantiis id permittentibus, sani- tum, eo
 tati conducit. est per-
 fectius.

Hoc
medica-
mentum
est eli-
gendum,
quod vel
tutius,
vel citius
vel ma-
iori cum
iucundi-
tate fani-
tati con-
ducit.

§. 270.

Cum medicamentum eo sit perfectius, quo vel tutius, vel citius, vel maiori cum iucunditate, circumstantiis occurrentibus minime contrariis, sanitati conducit §. 269, Medicus, reliquis circumstantiis id non prohibentibus, medicamentum eligere debet, quod vel tutius, vel citius, vel maiori cum iucunditate sanitati sub modo dicta conditione conducit.

§. 271.

Noua, nondum explorata, incon-
fueti non adhibere debet
Medicus.
Cum Medicus ex vtrisque medicamentis ipsi occurrentibus, quibus finem suum assequi, sed quorum vno finis hic tutius obtineri potest, illud eligere debeat, quo tutius eius finis impetrari potest §. 270, noua, nondum explorata, incon-
fueti, cum minus tuta sint, non adhibere debet, si aliis, veteribus nempe, probe exploratis, consuetis, cum ea magis tuta sint, idem praestare possit. Quodsi vero hoc circumstantiae in casu obuio occurrentes non permittant, illis vtatur summa cum prudentia, ne famae incurrat periculum.

§. 272.

Hoc, quod dixi, in-
primis notan-
dum circa vsum
heroico-
rum,
Hoc, quod dixi §. 271, maxime obser-
uandum est circa vsum medicamentorum he-
roicorum, ad quae pertinent purgantia dra-
stica, emetica, opiata, ex mercurio praepa-
rata, et alia §. 159, maxime in subiectis debi-
lioribus, aut valde sensibilibus, ne vehemen-
tiae remedii succumbant, in artis medicae Me-
dici-

dicique opprobrium. A drasticis igitur purgantibus est abstinendum, si mitiora sufficiunt, et idem quomodo ad reliquorum medicamentorum heroicorum usum sit applicandum, facile patet.

§. 273.

Ab usu obsoletorum et effoetorum, quoniam vel suam, si non totam, ex parte rationem amiserunt virritem, vel per moram corrupta alienam et noxiam assumerunt indolem, abstineat Medicus, ne vel aegro noxam causetur, vel saltem effectu frustretur. Patet exinde ratio, cur praestet, medicamenta ex officina pharmaceutica celebriore, in qua multa distrahuntur, depromere, cum frequentior distractio frequentiore requirat renovationem. Si cui vero bona fides et peritia pharmacopoei iam nota est et perspecta, ex eius officina, si vel maxime adeo celebris non sit, sua quoque depromere potest medicamenta.

§. 274.

Quae aegris ingratas excitant sensationes, quantum fieri potest, vitentur, vel parciore saltem quantitate cum aliis remixta artificiose abscondantur, cum Medicus illud prae alio eligere debeat medicamentum, quod cum emolumento, quod exinde nascitur sanitati, illo maiorem iucunditatem habet coniunctam §. 270. Consultius enim est, nullum, quam eiusmodi exhibere remedium, a quo natura abhorret;

Obsoletis non
utatur
Medicus.

Ingrata,
quantum fieri
potest, vitentur.

id quod in foeminis praecipue hystericis, infantibus, aliisque subiectis, sensatione magna praeditis, est obseruandum.

§. 275.

Idiosyncrasiae ratio est habenda circa vsum remedii.

Quae igitur cum ita sint, nonnunquam conuenit in aegri idiosyncrasiam, respectu cuiusdam remedii, inquirere, vtpote qua efficitur, vt remedium, quod alias ex omni parte absolutum est, vel plane non, vel saltem sine noxa applicari nequeat.

Medicus non praescribat difficulter parabilla, vel ea praeparet ipse.

§. 276.

Si Medicus de fide et dexteritate praeparantis non est certus, praestat, Medicum ea, quae accuratorem et difficiliorem exposcunt praeparationem, medicamenta, vel plane non praescribere, vel propria saltem exhibere manu.

§. 277.

A pretiosis abstineat Medicus, nisi id exigant circumstantiae.

Pretiosiora medicamenta non adhibeat Medicus, si idem minus pretiosis efficere potest, quod plerumque obtinet. Vnde pater, quod Medicus in praescribendo consulere aegrotantium crumenae, nec pauperibus imprimis ordinare debeat pretiosa, qualia sunt bezoar, ninsi, gemmae, margaritae, aut chemica illa magisteria, quorum maxima pars non minimam promissi explet partem. Ditionum interea luxui hic aliquid det, et eorum opinioni, qui saepius ex pretio vim remedii aestimant, se accommodet Medicus.

§. 278.

§. 278.

Si indigena aequae scopo Medici satisfaciunt, ac exotica, illa his non praeferat, quoniam minus fraudibus ac corruptioni sunt obnoxia.

Indigena exotica non sunt sine ratione anteponenda.

§. 279.

Vulgus, et qui eius opinione sunt capti, putant communia, consueta, ipsisque nomine, sapore aliisque qualitatibus nota, longe minorem, quam singularia, inconsueta et ipsis incognita, sanitati asserere utilitatem. Medicus ergo haec sciens bene et prudenter agit, dum illa, si iis uti velit et debeat, sub titulo minus usitato et aliis commixtis tecta praescribit, ne ea vel horreant, vel plane tanquam nihil praefutura aspernentur.

Quomodo Medicus se gerere debeat circa usum consuetorum.

§. 280.

In praescribendis remediis simplicitati et breuitati studeat Medicus, et si nativa et praeparata, simplicia et composita eadem gaudent virtute, nativa praeparatis, et simplicia compositis praeferat.

Medicus simplicitati et breuitati formulae studeat.

§. 281.

Vti accurata materiae medicae cognitio Medico formulam praescripturo scitu utilis est et necessaria, sic illa inprimis, quae in pharmacopoliis loci, in quo praxin exercet, pro-

Materia medica et appellationes

pro-

varias
medica-
mento-
rum
sciat.

prostant; cognita habere debet, ne talia praescribat, quibus carent officinae, et pharmacopoeus aliud pro alio substituat, quod plerumque fieri solet. Porro praeter vires et doses medicamentorum varias vsitatas, eorum appellationes vt sciat necesse est, ne idem remedium eadem in formula sub variis nominibus praescribat.

§. 282.

Confi-
stentiae
medica-
mento-
rum, tam
simplici-
cium,
quam
compo-
sitorum
sit gna-
rus.

Neque minus medicamentorum, tam simplicium, quam compositorum, consistentiae gnarus sit Medicus, ne partim formam alienam, vel mensuram praescribat impropriad, partim vero ne ea in vna eademque formula combinet, quae simul apte et sine mutatione incongrua misceri, vel mista commode adhiberi nequeunt.

§. 283.

Princi-
pia, vires,
et mu-
tuas ha-
bitudi-
nes me-
dica-
mento-
rum co-
gnitas
habere
debet.

Opus praeterea est, vt Medicus principia, vires, atque mutuas medicamentorum tum ad se inuicem, tum ad instrumenta, quibus praeparantur, habitudines, probe cognita atque explorata habeat, ne talia coniungat in vno eodemque medicamento, quae 1) effectum, qui hoc intenditur, vel plane destruant, vel saltem impediunt, vel alienum producant, 2) virulentiam iuncta contrahunt, vti

vti ex mercurio dulci cum salibus mediis combinato patet, 3) mixta se pertinaciter respuunt, vel odorem tetrum spirant.

§. 284.

Porro Medicus medicamentorum compositorum officinalium ingredientia nosse debet, ne ex tempore componenda iubeat, quae iam composita prostant, vel illa medicamenti officinalibus addat, quae eorum iam ingrediuntur compositionem, nisi id postulet indicatio.

Medicus officinalia remedia nosse debet.

§. 285.

Si remedia, quorum usum postulat indicatio, in quamcunque formulae speciem commodè redigi possunt, ex aegro quaere, quamnam prae reliquis amet, et cuinam adfuerit, sed simul, dum aegri arbitrio hac in re te accommodas, morbi naturae, vis, symptomatum aliorumque, qui morbum primum in aegro comitantur, affectuum rationem habe. Nam morbus quidam, qui curandus est, non omnes ferre potest formulas, sed peculiare, eas nempe, quae indicationibus ex eo depromptis respondent.

Quomodo in eligenda formulae specie se gerat Medicus.

§. 286.

Cur non
plures
regulae
afferan-
tur.

Multas in praescribendis formulis obser-
vandas superesse regulas probe scio, sed quo-
niam hae maxima ex parte ad methodum me-
dendi pertinent, utpote in qua pertractari so-
lent, et lectoribus praeterea plurimis saltem
molestum est, si in generalibus nimis
sim longus, eas mittam et potius ad
specialiora transeam.



PARS